UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Volumen ...

Ivstitia Et, Ivs. Sex Libris totidem Tractatus appono, nempe de rerum Dominio, de Restitutione, de Contractibus Gratuitis, de Contractibus Onerosis, de Contractibus Fortunæ, de Contractibus Adminicularis, de Quasi-Contractibus, & nonnullis Innominatis

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lugduni, 1663**

Cap. 1. Qvid restitutio, & quot eius radices.

urn:nbn:de:hbz:466:1-80681

Visual Library

# LIBER XXXVII.

# RESTITVTIO.

AGREDIOR, *agere de Restitutione, quæ est principalis actus Iustitiæ. Eius expendam naturam, personas ad eam gerendam subijciam, circunstantias in ea seruandas, causasque ab ea excusantes indicabo. Mox particulatim exprimam, ad quid teneatur, qui proximum læsit in bonis spiritualibus, inbonis corporis, famæ, & fortunæ. Etsi enim plura circa hac Vol. 5. docui, ad materiæ tamen integritatem nonnulla adhuc pressius indicabo.*

---

## *SECTIO PRIMA.*

### De Restitutione receptiores sine pugna sententiæ.

### CAPVT I.

### *Quid restitutio, & quod eius radices*

1 *Restitutionis definitio expenditur.*

RESTITVTIO est *actus institiæ, quo cuique redditur, quod ab eo ablatum, vel acceptum est.* Quatuor hic particulæ continentur. Prima est *Actus institiæ.* Iustitia enim quædam est virtus, quæ dirigit hominẽ, ne quid alterius est, rapiat; & si quid rapuerit, vt reddat. Ob id dicitur, æquabilitatem facere in rebus; loquor enim de iustitia commutatiua, cuius actus & operatio quædam est restitutio. Secunda est, *quo vnicuique redditur.* Iustitia enim facit, vt quod alicui debemus, ei demus, & hoc dicitur soluere. Agit etiã, vt quod ab altero accepimus, vel abstulimus, reddamus, id est, iterum in sua apponamus potestate, & talis actus est restitutio. Dupliciter autem alicui redditur aliquid, vno modo cum ipsimet redditur: altero, cum redditur alicui ad ipsum pertinenti, vt vxori, filiis, hæredibus vel aliis; vtroque modo fieri assolet restitutio. Tertia est, *Quod ab eo ablatum est.* Per ablationem intelligo iniustam acceptionẽ, qua alio aliquid abstulimus furando scilicet, rapiendo', damnificando in persona, in fama, in vita, in bonis fortunæ: aut iniuste quæ illius sunt retinendo. Ad restitutionem enim spectat huiusmodi ablata reddere. Quarta est, *Vel acceptum est.* Per quod verbum iustam actionem habendi, quod alterius est intelligo, siue per mutuum, siue per cẽsum aliosve contractus. Est igitur restitutio reddere cuiq; quod ab eo abstulimus, vel accepimus. Tolet. *l.5.c.*17. Nauar. *sum.cap.*17.*n.*6. Nauarra *de restitut.l.*2.*c.*1.*n.*5. Lessi.*l.*2.*c.*7.*dub.*4.*n.*15. Filliu. *tr.*32.*n.*9. ex D. Tho. 2.2.*q.*62.*a.*2.

2 *Non est necessaria ad salutem necessitate medij, est tamen præcepti necessitate.*

Non est necessaria restitutio ad salutem necessitate medij. Quia fieri potest, vt salus aliquando obtineatur, prætermissa restitutione ob iustam aliquam causam, vel ob ignorantiam inuincibilem, vel ob egestatẽ, vel ob impotentiã restituendi. Necessaria verò est necessitate præcepti, & hoc certum de fide, vt cõstat ex multis sacræ paginæ locis. *Tob.* 12. *Matth.*22. *ad Roman.*13. Quod intellige, si facultas suppetat. Si autem non suppetat, non est quidem ipsa externa restitutio necessaria, propositum tamẽ restituendi necessarium est. Quia ad peccati remissionem necessaria est contritio, vel attritio cum Sacramento, hæc autem continet in se restituendi propositum. Val.*to.*3.*d.*5.*q.*6.*punct.*2. Sayr. *in clauil.*10.*tr.*1.*c.*3.*n.*2. Les.*l.*2.*c.*7.*dub.*6.*n.*47. & 48. Bonac. *de rest.d.*1.*q.*1.*pun.*2.*n.*2. & 3. Nauar. *sum.c.*17.*n.*68.

3 *Triplex restitutionis radix.*

Cum vero nomen restitutionis generatim accipiatur pro omni redditione, qua res ex institia debita redditur in se ipsa, vel in æquiualenti, obligatio restituendi ex re triplici radice oritur. Primo ex accepta, quando scilicet quis pecuniam, vel aliam rem alienam inuenit apud se, nulla præuia iniusta acceptione; aut quando rem alienam bona fide consũpsit, & in ea factus est ditior. Secundo, ex iniusta acceptione, aut damnificatione, vt quando quis rem alterius abstulit, vel alteri damnum intulit. Tertio, ex contractu quando inter aliquas personas celebratus fuit contractus, ratione cuius emergit obligatio restituendi, vt ratione pignoris, commodati, &c. Lessius *l.*2.*c.*7.*dub.*5.*n.*20. Laym. *l.*3.*sect.*5.*tr.*2.*c.*1.*nu.*2. Sylu. 2.2.*q.*62.*a.*6. Sayr. *in claui, l.*10. *tr.*2.*c.*1.

Ex

4 *Ex ſolo delicto contra iuſtitiam oritur.*

Ex ſolo delicto contra iuſtitiam, non verò cõtra alias virtutes oritur reſtituendi obligatio. Quia ipſa reſtitutio eſt actus iuſtitiæ, quo debitum alteri redditur ad æqualitatem, hoc autem non accidit in aliis virtutibus, vt pietate, religione, & alijs etiam ſi ſint annexæ iuſtitiæ, Reginal. *l.*10.*n.*65. Val.2.2.*d.*5.*q.*6.*pun.*3. Nauar. *ſum.c.*17.*n.*21.

5 *Quæ ad reſtitutionem pertinent nouem punctis complectitur.*

Porro quæ ad reſtitutionem pertinent nouem ſunt, & in horum tractatione tota ſiſtit materia ſunt autem hæc: Quis reſtituere teneatur. Quid debet reſtituere. Cui eſt reſtitutio facienda. Quãtum eſt reddendum. Quomodo: Quo tempore. Quo ordine: Quo loco. Et quæ ſint cauſæ propter, quas aliquis excuſetur à reſtituendi obligatione. Hiſce, vt facilius memoriæ teneas vulgaribus carminibus continentur.

*Quid, quis reſtituet, cui, quantum, quomodo, quãdo.*
*Ordine quoue loco, quæ cauſa excuſat iniquum.*

Singula percurram.

## CAPVT II.

### *Quis reſtituere teneatur.*

6 *Materialis, ac formalis iniuria.*

Ad reſtitutionem tenentur ij, qui iniuriã damnoſam intulere. Hæc autẽ eſt duplex; *Materialis, & Formalis.* Materialis eſt, cum quis rem alienam deſtruit, accipit bona fide: vel retinet, ideſt probabiliter iudicans, id ſibi licere, vel eſſe ſuam. Formalis eſt, qua quis rẽ alienam deſtruit, accipit, vel retinet mala fide, id eſt, cum ſciat, vel ſcire poſſit, ac debeat, id ſibi non licere, ac rem non eſſe ſuam, Layman *l.*3.*tr.*2.*c.*1. Leſ.*l.*2.*c.* 7.*du.* 6. Bonac.*de reſt.d.*3.*q.*1.*pun.*6.& alij.

7 *Qui bona fide poſſidet rem alienã putans eſſe ſuam, tenetur ſtatim illam reſtituere, agnoſcens eſſe alienam.*

Qui rem alienam bona fide poſſedit, credens eſſe ſuam, tenetur ex iuſtitia reſtituere ſtatim, ac agnoſcit eſſe alienam. Quia retinens rem alienã, inuito domino, peccat. Vnde poſſidens rem alienam bona fide emptam à fuere, vel ab alio, non poteſt pretium, qnod ipſe ſoluit exigere à domino, cui res eſt tradenda, ſed tenetur rẽ ei tradere abſque pretio Quia æqnum non eſt, vt dominus rem ſuam emat. Si autem huiuſmadi poſſeſſor nolit eam rem domino abſque pretio tradere, exinde fit poſſeſſor malæ fidei, ac conſequenter reus omnium damnorum inde prouenientium ratione iniquę retentionis, quæ acceptioni iniquæ comparatur, D.Tho.2.2.*q.* 62.*a.*6. Nauar.*ſum.c.*17.*n.*7. Tolet.*l.*5.*c.*17. Sanch.*l.*2. *Moral.c.*23.*n.*2.

8 *Qui rem alienam cõſumpſit credens eſſe ſuam debet id reſtituere, in quo factus eſt ditior.*

Alienans, vel conſumens rem alienã bona fide credens eſſe ſuam, non tenetur ad reſtitutionem, niſi in qua re factus eſt locupletior. Quia id, in quo locupletior eſt factus, in locũ rei acceptæ ſuccedit, quę in ęquiualenti ſtare dicitur. Ille verò dicitur factus ditior ex re aliena, qui, ceſſante bona fide, cognoſcit, ſe occaſione rei alienæ factũ eſſe locupletem, vt ſi cognoſcat, ſe aliquos ſũptus non feciſſe, quos alioquin ex ſua re geſſiſſet, aut ſi aliquid habeat, quod alioquin non habuiſſet, Leſ.*l.*2.*c.*14.*n.*7. Fill.*tr.*32.*n.*20. In dubio autem, an factus ſit locupletior, qui rem alienam bona fide conſumpſit, non eſt præſumendus ditior factus. Quia melior eſt poſſidentis conditio. Rebel.*p.*1.*l.*2.*q.*3. Sanch. *l.*2. *decalog.c.*23.*n.*37.

9 *In quis caſibus poſſeſſor bonæ fidei ad reſtitutionem non teneatur.*

Non tenetur ad reſtitutionem ille, cui res aliena caſu periit, aut etiam propria culpa modo perierit eo tempore, quo ipſe rem bona fide poſſidebat, credens eſſe ſuam. Neque qui rem alienam bona fide emit, quam poſtea æquali vel minori pretio vendidit, ſecus ſi maiori, tunc enim debet pretij incrementum reſtituere. Concedens rem furtiuam apud amicum; tenetur tãtùm ad reſtitutionem illius, in quo rei ſuæ pepercit. Qui autem bona fide aliquem contractũ vſurarium vel alias iniuſtum celebrauit, quem neſciebat tale eſſe, ſi poſtea comperiat, tenetur ſolum retinere rem extantem, & id in quo inuenit, ſe factum ditiorem tempore, quo incepit contractus iniuſtitiam agnoſcere. Mol.*to.*1.*tr.*2.*d.*246.& 720.& 63. Nauar.*de reſt.l.* 3.*c.*4.*nu.*149. Vaſq.*de reſt.c.*9.§.2. Reb.*l.*9.*q.*18.*n.*9.

10 *Si res ipſo vſu conſumitur, aut deterior efficitur dubitans eſſe alienam non poteſt illa vti.*

Qui rem alienam bona fide accepit, & poſtea dubitare incipit, alienam eſſe, ſi res ipſo vſu conſumitur, vel deterior efficitur, non poteſt illa vti. Quia exponeret alias ſe periculo conſumendi, vel deteriorem efficiendi rem alienam domino inuito. Si autem non conſumitur, vel deterior non redditur ipſo rei vſu, poteſt ea vti ſoluendi pretium vſus, detractis expenſis intentione. Sylu.2.2 *q.*6.2 *a.*6.*q.*3.*conc.*3. Sàv.*Reſtitutio, fine* Sanch.*de matr.l.*2.*d.*41.*n.*21. Vaſq. 1.2.*d.*66.*c.*7.

11 *Poſſeſſor malæ fidei debet rem alienam Domino vnà cũ eius fructibus reddere.*

Profecto iniquus malæ fidei poſſeſſor debet rem alienam, vel, ſi periit, æſtimationem eius domino reſtituere, cum eius incremento, ac fructibus non ſolum iis, quos poſſeſſor percepit, deductis tamen expenſis) ſed etiam quos dominus veriſimiliter percepiſſet, niſi ipſi ablata, vel iniquè detenta fuiſſet, inſuper omne aliud damnum emergens, & lucrum ceſſãs eidem cogitur reſarcire. D.Tho.2.2.*q.*62.*a.*6. Mol.*to.*3.*d.*713. Azor.*p.*3.*l.*4.*c.*4. Medin.*de reſt.q.*6. Attamen ſi res aliena apud furem, vel alium malæ fidei poſſeſſorem caſu fortuito, ac ſine eius culpa deperiit, quæ certo etiam apud dominum periiſſet, in conſcientię foro ad nullam reſtitutionẽ obligatur. At ſi res aliena perijt furi, alteriuſue malę fidei poſſeſſoris dolo, quia eam ſcienter deſtruxit, abſumpſit, alteri donauit, &c. tunc tenetur eius æſtimationem domino præſtare, nihil obſtante, quod ſi ei à fure ablata non eſſet, certo etiam periiſſet. Leſ.*l.*2.*c.*12.*n.*92. Laym.*l.*3. *ſect.*5.*tr.*2.*c.*4.*n.*2. Nauar.*ſum.c.*17.*n.*8.

12 *Ad quid teneatur qui rem mala fide accepit dubitans alienam eſſe.*

Qui vero rem mala fide accepit, dubitans eſſe alienam tenetur adhibere debitam diligentiã ad aſſequendam rei veritatem, ne domino rei iniuriam ac damnum inferat. Si autem facta diligenti inquiſitione non poteſt rei aſſequi veritatem, tenetur reſtituere rem inter eos, quorũ eſſe dubitat, ad dubij ratã. Vnde hæres, qui incipit rem aliquam mala fide poſſidere, quam defunctus bona fide poſſedit, tenetur rem ad ratam dubij reſtituere inter eos, quorum eſſe dubitat. Imo talis hæres comperto rei domino, non ſolum tenetur rem integram ipſi reſtituere, ſed etiam fructus à ſe perceptos tanquam malæ fide poſſeſſore. Fill.*tr.*32.*nu.* 91. Vaſq.*de reſt.c.*6.§.3.*dub.*5.*n.*82. Leſ.*l.*2.*c.*14.*dub.* 4. Sà *v.Reſtit.n.*62. Sanch.*l.*2. Mor.*c.*23.*n.*148.



ESCOBAR
Theol: Mor.
Tom: V.VI.VII.
E. IV
6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN